

De leporibus &amp; cuniculis.

CAP. LV.

**E**T leporum plura sunt genera: In alpibus candidi, quibus hybernis mensibus pro cibatu niuem credunt esse: certe liquecente ea rutilefcunt anis omnibus. Est & alioqui animal intolerandi rigoris albuminum. Leporum generis sunt & quos Hispania cuniculos appellat, fecunditatis innumera, sumemque Balearibus insulis, populatis messibus afferentes. Fetus ventre exectos vel vberibus ablatos non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent: laurices vocant. Certum est Balearicos aduersus prouentum eorum auxiliu militare a diuo Augusto petisse. Magna propter venatum cum viuerris gratia est. Inijciunt eas in specus, qui sunt multiformes in terra, vnde & nomen animali: atque ita eiectos superne capiunt. Archelaus autor est, quot sint corporis cauernae ad excrementa lepori, totidem annos esse etatis. Varius certe numerus reperitur. Idem vtrunq; vim singulis inesse ac sine mare aequae gignere. Benigna circa hoc natura, innocua & esculenta animalia fecunda generant. Lepus omnium praeda nascens, solus praeter dasy podem super fatat, aliud educas, aliud in vtero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. Necnon & vestes leporino pilo facere, tentatum est, tactu non perinde molli ut in cute, propter breuitatem pili dilabidas.

De semiferis.

CAP. LVI.

**H**I mansuescunt raro, cum feri dici iure non possint. Complura namq; sunt nec placida nec fera, sed mediae inter vtrunq; naturae, vt in volucris hirundines, apes, in mari delphini.

De muribus &amp; gliribus.

CAP. LVII.

**Q**uo in genere multi & hos incolas domuum posuere mures, haud spernendum in ostentis etiam publicis animal. Arrosus Lauinij chlypeis argenteis, Marficiu portendere bellu: Carboni imperatori apud Clusiu fascijs, quibus in calceatu utebatur, exitium. Plura eorum genera in Cyrenaica regione, alij lata fronte, alij acuta, alij herinaceoru genere pungentibus pilis. Theophrastus autor est, in Gyaro insula cum incolas fugassent, ferrum quoque rosisse eos, id quod natura quadam & ad Chalybas facere in ferrarijs officinis: Aurarijs quidem in metallis, ob hoc aluos eorum excidi, semperq; \*furtum id deprahendi: tantam esse dulcedinem furandi. Venisse murem cum nummis, Casilinum obsidente Annibale: eumque qui vendiderat fame interisse, emptorem vixisse, annales tradunt. Cum candidi prouenere, letum faciunt ostentum. Nam soricum occentu dirimi auspicia, annales refertos habemus. Sorices & ipsos hyeme condi, autor est Nigidius, sicut glires: quos censoriae leges, princepsq; M. Scaurus in consulatu, non alio modo caenis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues. Semiferu & ipsum animal, cui viuaria in dolijs

idem qui apris instituit. Qua in re notatum, non congregari nisi populares eiusdem syluae: & si misceatur alienigenae: anme vel monte discreti, interire dimicando. Genitores suos fessos senecta, alunt insigni pietate. Senium finitur hyberna quiete, conditi enim & hi cubant: rursus aestate iuuenescunt, simili et mustelis quiete.

Quae aialia quibus locis non sint. CAP. LVIII.

**M**irum, reru naturam non solum alia alijs dedisse, terris animalia, sed in eodem quoq; situ quaedam aliquibus locis negasse. In Masia sylua Italia, non nisi in parte reperiuntur hi glires. In Lycia dorcades non transeunt montes Syris vicinos: onagri montem qui Cappadociam a Lycia diuidit. In Helleponto in alienos fines non commeant cerui: & circa Arginussam Elatum montem non excedunt, auribus etiam in monte fissis. In Pordoselene insula viam mustulae non transeunt. in Baeotia Lebadia illata solum ipsum fugiunt, quae iuxta in Orchomeno tota arua subruunt talpa, quarum e pellibus cubicularia vidimus stragula. Adeo ne religio quidem a portentis sum mouet delicias. In Ithaca lepores illati moriuntur, extremis quidem in littoribus: in Ebuso cuniculi non sunt, scatent in Hispania Balearibusq;: Cyrenis muta fuere ranae, illatis e continenti vocalibus durat genus earu. Muta sunt etiam nunc in Seripho insula. Eadem alio translata canunt: quod accidere & in lacu Thessaliae Sicendo tradunt. In Italia muribus araneis venenatus est morsus: eosdem vltior Apennino regio non habet. Idem vbiunque sint, orbitam si transiere, moriuntur. In Olympo Macedonia monte non sunt lupi, nec in Creta insula. Ibi quidem non vulpes ursine, atq; omnino nullu maleficum animal, praeter phalangium, aranei id genus, de quo dicemus suo loco. Mirabilis, in eadem insula ceruos, praeter quam in Cydoniataru regione, non esse: item apros, & attagenas, herinaceos: in Africa autem nec apros, nec ceruos, nec capreas, nec vrsos.

Quae aduenis noceant.

CAP. LIX.

**I**am quaedam animalia indigenis innoxia, aduenas interimunt: sicut serpentes parui in Tyrinthe, quos terra nasci proditur. Item in Syria angues, circa Euphratis maxime ripas, dormientes Syros non attingunt: aut etiam si calcati momordere, non sentiuntur maleficia: alijs cuiuscunq; gentis infesti, auide & cum cruciatu exanimantes: quamobrem & Syri non necant eos. Contra in Latmo Cariae monte Aristoteles tradit a scorpionibus hospites non ladi, indigenas interimi. Sed reliquorum quoque animalium, & praeter terrestria, indicemus genera.

C. Plinij

\* infartum